

CALENDARIUM.

Eadem vel alia die, SS. Servandi et Germani Martyrum duplex	81
XXIV. S. Raphaelis Archangeli, duplex	83
Eadem die, S. Bernardi Calvo Episcopi et Conf. duplex ij. classis	83
XXV. SS. Gavini, Prothi et Januarii Martyrum Turritanorum, duplex. Commemoratio SS. Chrysanthi et Dariae MM.	86
Eadem vel alia die, S. Fructi Conf. et Eccl. Segov. Patroni, dupl. Comm. SS. Chrysanthi et Dariae MM.	88
XXIX. S. Narcissi Episc. et Mart. Patroni Civit. ac Dioc. Gerundensis, duplex j. classis cum Octava, in Dioc. Gerund.	95
In reliquis Diocesisibus, duplex	104
November.	
Dom. II. Patrocinii B. M. V. duplex majus	105
III. SS. Innumerabilium Martyrum Caesaraug. dupl. Comm. SS. Vitalis et Agricolae MM.	105
V. Octava S. Narcissi Episc. et Mart. duplex, pro dioc. Gerundensi.	107
XV. S. Eugenii Mart. Archiepisc. Toletani et Patroni, duplex	109
XVII. S. Gertrudis Virg. duplex ij. classis, pro principatu Catal.	112
Eadem die, SS. Aciscli et Victoriae Mart. duplex	121
XXIV. S. Joannis a Cruce, duplex ij. classis	123
XXVI. Desponsat. B. M. V. cum S. Joseph, duplex majus. Commem. S. Petri Alexandr. Episc. Mart.	123
Officium votivum S. Jacobi, Hisp. Apost. et Patroni, semiduplex	128
Officium votivum B. M. V. Immaculatae in Sabbato, Semid.	136
Officium B. M. V. de Guadalupe Mexicanæ sive Regni Novæ Hispaniæ Patronæ	137



Proprium Sanctorum

—*— Mexicanorum. —*—

PARS AUTUMNALIS.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Rosæ a S. Maria Virginis Limanæ, ac princip. Patr. totius Americæ. Dupl. j. cl. cum Octava.

Omnia ut in Brev. Rom, præter Lect. j. Noct., quæ leguntur De virginibus. (et omni Commemor.) SS. MM. Felicis et Adacti, cujus loco dic. Lectio ix. de Comuni.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In Octava
S. Rosæ a S. Maria Virginis. Duplex.
Omnia ut in die, præter sequentia.

In j. Noct. Lect. de Script. occur.

In II. Nocturno.
De Epistola sancti Hieronymi Presbyteri ad Eustochium.

Lectio iv.
De custodia Virginitatis.

DE virginibus, inquit Apóstolus, præceptum Domini non habeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt; cum de continentia disserens, et suadens perpétuam castitatem, intulerit : Volo

autem omnes esse sicut meipsum. Et infra : Dico autem innuptis et viduis : Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris est mercedis, quod non cogitur et offertur : quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatae; et durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere.

R. Propter.

Lectio v.

Alia fuit in veteri lege felicitas. Ibi dicitur : Beatus, qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem; et : Maledicta sterilis, quæ non pariebat; et : Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Vaneus erat orbis, et, ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. Propterea et Abraham jam senex Cethuræ copulatur, et Jacob mandragoris redimitur, et conclusam vulvam in Ecclesiæ figuram Rachel conquiritur. Paulatim vero increscente sægete, messor immisus est. Virgo

Elías, Eliséus virgo, virgines multi filii Prophetarum. Jeremiæ dicitur : Et tu ne accipias uxorem. Sanctificatus in útero, captivitate propinqua, uxorem prohibetur accipere. Aliis verbis idipsum Apostolus loquitur : Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. Quæ est ista necessitas, quæ aufert gaudia nuptiarum? Tempus brevium est, in proximo est Nabuchodonosor.

R. Dilexisti.

Lectio vij.

Inveniebatur ergo, ut diximus, in viris tantum hoc continentiae bonum, et in doloribus jugiter Heva parturiebat. Postquam vero virgo concepit in útero, et peperit nobis puerum, cujus principatus in humeros ejus, Deum, fortem, patrem futuri sæculi, soluta maledictio est. Mors per Hevam, vita per Mariam. Ideoque et ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia cepit a femina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in celo, haberet Angelos et

in terris. Tunc Holofernis caput Judith continens amputavit : tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni : tunc primum auditum est : Quæ non est nupta, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore, et spiritu.

R. Afferentur regi.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xxv.

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis parabola hanc : Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi. **Serm. xxij. de verbis Domini.**

Letendat itaque caritas vestra. Sapientium lampades ardébant de oleo æterno, de conscientie securitate, de interiore gloria, de intima caritate. Ardébant tamen et illarum fatuarum. Quare tunc ardébant? quia non déerant laudes hominum. Postea vero quam surrexerunt, id est in resurrectione a mortuis, cœperunt

aptare lampades suas, id est parare, Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat : non erant qui oleum venderent, cœperunt deficere lampades.

R. Hæc est.

Lectio viij.

Clausum est ostium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est? Non novi vos? Improbo vos, reprobo vos : in arte mea non vos agnosco : ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum, et nescit vitia, et judicat vitia : nescit faciendo, judicat arguendo. Sic ergo non novi vos. Ierunt, intraverunt quinque prudentes. Sint in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarum numeri pertinentes. Veniet enim hora, et quando nescimus, veniet. Sic clausit Evangelium : Vigilate, quia nescitis diem neque horam.

R. Média nocte.

Lectio ix.

Corde vigila, fide vigila, spe vigila, caritate vigila, operibus vigila :

et quando corpore dormieris, veniet tempus ut surgas. Cum autem surrexeris, prepara lampades. Tunc non exstinguantur; tunc in interiore conscientiae oleo vegetentur; tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur; tunc te introducat in domum, ubi numquam dormias, ubi numquam possit tua lampas exstingui. Hodie vero laboramus, et lampades nostrae inter ventos saeculi hujus tentationesque fluctuant: sed ardeat in rubore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potius, quam exstinguat.

Te Deum laudamus.

DIE IX. SEPTEMBRIS.
S. Joannae Franciscæ Fremiot de Chantal Viduae.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. praeter sequentia.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam tuo amore succensam, admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfe-

ctionis donasti, qui per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis et precibus concede; ut qui infirmitatis nostrae consocii de tua virtute confidimus, caelestis gratiae auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

Inj. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Oanna Franciscæ Fremiot de Chantal, Divione in Burgundia clarissimis ortu natalibus, ab ineunte aetate eximia sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra aetatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse, in haec verba: En quomodo haereticus apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata, Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam, quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in

moribus exprimens, a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhélans, religioni ac pietati impense studébat. Baróni de Chantal nuptui a patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subiectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbueres satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata: quo factum est, ut nemini se umquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam sponderit. **R.** Propter.

Lectio v.

Viro in venatione interempto, perfectioris vitae consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum aequo animo tulit, sed, in publicum indultae veniae testimonium, occisoris filium e sacro fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat.

Numquam adduci potuit ut alteras nuptias, quamvis utiles et honorificas, iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius in dies caritate fervescens, pauperes, derelictos, aegros, terribisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorundem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pure ulceribus labia admovere non exhorrebat.

R. Dilexisti.

Lectio vi.

A Sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium parentem, socerum, filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem, sua e domo egradiens, pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et sacri instituti Visitationis sanctae Mariae fundamenta jecit. Ejus in-

stituti leges integerrime custodivit, et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ vero animi demissionis et obedientiae, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se prae-buit. Altiores in corde suo ascensiones dispōnens, arduissimo efficiēdi semper id quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique, sacro Visitationis instituto ejus potissimum opera longe latēque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiā divina sapientia refertis, ad pietatem et caritatem sororibus excitatis, meritis referta, et sacramentis rite susceptis, Molinis, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die decima tertia Decembris, migravit ad Dōminum, ejusque animam, occurrente sancto Francisco Salésio, in caelos deferri sanctus Vincéntius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annécium translatum fuit: eamque miraculis ante et post obitum clarā Benedictus decimus quartus Beatōrum, Clemens vero

decimus tertius Pōntifex maximus albo Sanctōrum adjecit. Festum autem ejusdem die duodécimo Kalēdas Septēbris ab univēsa Ecclēsia Clemens decimus quartus Pōntifex maximus celebrari praecepit.

℟. Fallax grātia.

In iij. Noct., Homil. Caelōrum regnum. de Comm. nec Virg. nec Mart.

DIE XI. SEPTEMBR.
S. Clementis

Martyris, cuius Reliquia asservatur in Cathedr. Angelopolit. Duplex, Angelopoli.

Omnia de Comm. unius Mart., praefer sequentia.

Oratio. Praesta, quæsumus ut intercedente. ij. loco.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In ij. Noct., Lect. Principes. de Comm. ij. loco.

In iij. Noct., Homilia. Dōminus diem iudicii. de eodem Comm. iij. loco.

EADEM DIE.

S. Josephi Calasantii a Matre Dei

Conf. Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano die xxvij. Augusti.

DIE XVI. SEPTEMBR.
S. Cornelii

Papæ et Mart. cuius Reliquia asservatur in Angēlop. Ecclesia. Duplex. Angelopoli.

Omnia de Communi unius Mart. praefer sequentia.

Oratio. Infirmi-tatem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quatuor Temp. A Milēto. de eodem Comm.

In ij. Nocturno, Lect. iv. et v. propr. ut in Brev. Lectio vj. Triumphalis. de Comm. j. loco.

In iij. Noct., Homilia. Si consideremus. de Communi unius Mart. j. loco.

DIE XXIX. SEPTEMB.

In Dedicatione

S. Michaelis

Archangeli, Civitatis

Angēlop. Patroni. Duplex j. classis cum Oct.

Ibid.

Omnia ut in Breviario Romano.

DIE VI. OCTOBRIS.

In Octava Dedicationis

S. Michaelis

Archangeli.

Duplex. Angelopoli.

Omnia ut in die, praefer sequentia.

In j. Noct., Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Serm. ij. in Festo S. Michaelis.

Lectio ib.

℞ Angelōrum hōdie memōria celebratur, et exigitis dēbitum pro tanta solemnitate sermōnem. Crēdimus sane et indubitata fide tenemus, divina eos præsēntia et visiōne beatos sine fine lætari in bonis Dōmini; attamen, si multum est ad nos loqui de ea caritate et glōria, qua in semetipsis, imo in Deo suo Angeli sancti nostris omnino supereminent cōrdibus: de ea loquāmur, quam nobis exhibent, grātia et caritate. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator et Rex Angelōrum venit non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis.

℟. Hic est Michael.

Lectio v.

℞ Ujus itaque tanti ministri grātia nihil mirum, si dignanter nobis, imo et libenter Angeli sancti ministrent:

ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia: sed et dignus in eorum præsentia conversari, et magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studetis.

R. Venit Michael.

Lectio vj.

CAvenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima, quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delictant: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cœlum gemitus, et orationes cum lacrimis et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt Angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quamdam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra?

R. In tempore illo.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xvij.

IN illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno cœlorum? Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homilia lx. in Matth.



Videte, ne contemnatis unum de parvulis istis. Parvulos hic non ætate, sed multorum æstimatione appellavit: pauperes, inquam, ignotos, ceteroque hujusmodi, quos multum contemnunt, qui revera parvuli non sunt, cum Creatoris omnium amici sint: quos ipse multo magis venerabiliores facit, dicens: Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. *R.* In conspectu.

Lectio viij.

Hinc, manifestum est, quia omnes sancti Angelos habent. Apostolus etiam ait de muliere, quoniam velamen debeat habere in capite propter Angelos: et Moyses statuit fines gentium secundum numerum Angelorum.

rum Dei. Hic vero non de Angelis simpliciter dicitur, sed de Angelis excellentibus atque supremis. Nihil enim aliud designatur, cum dicit: Faciem Patris mei aspiciunt, quam summa fiducia eorum, et honor præcipuus. *R.* Michael.

Lectio ix.

Vides, quod quibusque rationibus ad modestiam, et ad curam tenuiorum fratrum nos revocat. Infāntem in medio statuit, et dixit: Efficiamini sicut parvuli: et quicumque talem suscepit parvulum, me suscipiet: et quicumque hunc scandalizaverit, extrema luet supplicia: et scandalizantes homines, etiam si loco manuum atque oculorum nobis essent, abscindere jussit: Angelorum quoque auctoritate, qui hos tenues fratres tutantur, ut eos veneremur, impellit. Te Deum laudamus.

DIE XVII. OCTOBRIS.
Beatæ Margaritæ
Mariæ Alacoque

Virginis. Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXI. OCTOBRIS.
Ss. Ursulæ et Soc.
ejus, Virg. et Mart.

Duplex.

Omnia ut inter Festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXXI. OCTOBR.
Unius Martyris
Cæsaraugustani,

non ex innumerabilibus, cujus Reliquia asservatur in Metropolitana Ecclesia. Mexic. Duplex. Omnia de Comm. unius Mart., præter seq.

Oratio. Præsta, quæsumus ... ut intercedente, ij. loco.

In j. Nocturno, Lektionen de Scriptura occurrente.

In ij. Nocturno, Lektionen. Triumphalis de Communi j. loco.

In iij. Noct., Homilia. Dominus diem judicii. de eodem Communi iij. loco. Lectio ix. et Commem. Vigil. in Laudibus.

DIE I. DECEMBRIS.
S. Eligii

Conf. et Episc. Noviom. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. præter sequentia.

Oratio.

Tribue nobis, quæsumus Dómine, singularem sancti Eligii Confessoris tui atque Pontificis caritatem imitari, ut illius mérita in spiritu et veritate celebremus. Per Dóminum.

In j. Nocturno, **Lectiones de Scriptura occurrente.**

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Eligius Lémovick a catholicis piisque parentibus religiose educatus, auri laborandi artem adolescens didicit. Manuum labores cum pietatis operibus mire coniungens, quidquid temporis a labore supererat, in divinis frequentandis officiis, in sacrorum librorum audienda lectione, inque ea attento animo recolenda insumebat. Etate autem a sanctorum scientia proficiens christianas virtutes impensius excoluit: suum enim corpus oratione et jejuniis in mentis servitute redégit, seque totum redimendis captivis, detentis carcere solandis, et egenorum sublevandæ inopiæ dedit. Hinc tantus ad eum pauperum concursus, ut quaerenti

domum Eligii diceretur: Ubi pauperum cœtum conspexeris, illic et Eligium repèries. Harum virtutum præstantia Francorum regibus Clotario, ejusque filio Dagoberto, apprime carus fuit, quorum tamen gratia, vel ut indigentes juvaret, vel ut divinam promoveret gloriam, solummodo utebatur.

R. Invèni.

Lectio v.

Ad Armoricorum religionem educatus, auri laborandi artem adolescens didicit. Manuum labores cum pietatis operibus mire coniungens, quidquid temporis a labore supererat, in divinis frequentandis officiis, in sacrorum librorum audienda lectione, inque ea attento animo recolenda insumebat. Etate autem a sanctorum scientia proficiens christianas virtutes impensius excoluit: suum enim corpus oratione et jejuniis in mentis servitute redégit, seque totum redimendis captivis, detentis carcere solandis, et egenorum sublevandæ inopiæ dedit. Hinc tantus ad eum pauperum concursus, ut quaerenti

simoniacam labem, quæ altas in Gallia radices egerat, junctis cum Audoeno studiis exstirpavit; effecitque cum eo, ne quis deinceps Episcopus eligeretur, nisi qui integritate morum ceteris præfulgeret. **R.** Pôsui.

Lectio vj.

Tamquam Aaron ad cleri honorem vocatus, etsi pro singulari sua animi demissione renuens, sacris tamen initiatur, atque Noviomensi præficitur Ecclesiæ. Quo in munere omnes perfecti præsulis partes fideliter adimplèvit. Nam commissas sibi Christi oves in omni scientia ac doctrina erudire, atque in omni patientia redarguere numquam cessavit. Inopum gregem quotidie pavit, solitus etiam illorum sordes eluere. Orthodoxæ veritatis hostes pervigili cura detexit, illorumque nefarios conatus elusit. Idololatrias, non qui suam modo incolabant diocœsim, sed etiam alios quamplurimos ad veri Dei cognitionem et cultum adduxit, atque eorum fana subvertit. Cabilonensi interfuit synodo anno a Virginis

partu sexcentésimo quinquagesimo circiter celebratæ. Demum prophetiæ dono clarus, miraculorum fama insignis, septuagenarius placide obdormivit in Dómino, ejusque corpus summa fidelium veneratione conditum est in sepulcro, quod Deus miraculis gloriolum reddidit. **R.** Este.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. xxv.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Patris. **Homilia in Evang.**

Ullus piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minime accèpi; non est, unde rationes ponere cogar: talenti enim nomine, cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accèpit. Alius namque accèpit intelligentiam; prædicationis ministèrium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accèpit; erogationem talenti debet ex

rebus. Alius nec internórum intelligentiam nec rerum affluentiam accépit, sed tamen didicit artem, qua páscitur : ipsa ars ei in talénti acceptióne reputátur. Alius nihil horum assecútus est, sed tamen fortásse familiaritátis locum apud dívitem mérúit, taléntum profecto familiaritátis accépit. Si ergo nihil ei pro indigéntibus loquitur, pro talénti retentióne damnátur. **R.** Amávit eum.

Lectio viij.

Habens ergo intellectum, curet omnino ne táceat : habens rerum affluentiam, vigilet ne a misericórdiæ largitate torpéscat : habens artem qua régitur, magnópere stúdeat ut usum atque utilitátem illius cum próximo partiátur : habens loquéndi locum apud dívitem, damnatióne pro reténto talénto tímeat, si, cum valet, non apudeum pro paupéribus intercédit : tantum quippe ab unoquoque nostrum ventúrus iudex éxiget, quantum dedit. Ut ergo de talénti sui ratióibus, redeúnte Dómino, quisque securis sit, cum tremóre penset quotidie quid

accépit. Ecce namque jam iuxta est, ut ille qui pégre profectus est, rédeat : quasi quippe pégre ábiit, qui de hac terra, in qua natus est, longe discéssit; sed profecto revértitur, ut de taléntis ratiónes ponat, quia si a bona actióne torpéscimus, de ipsis donis quæ cóntulit, nos dístrictius júdicat.

R. Sint lumbi.
Lectio ix.

Considerémus ergo quæ accépimus, atque in eórum erogatióne vigilémus. Nulla nos a spirituáli ópere terréna cura impédiat, ne, si in terra taléntum absconditur, talénti Dóminus ad iracúndiam provocétur. Piger étenim servus, cum jam culpas iudex exáminat, taléntum de terra levat : quia sunt plerique, qui tunc se a terrénis desidériis vel opéribus subtrahunt, quando jam per animadversiónem júdicis ad ætérnum supplicium trahúntur. Ante ergo de talénti nostri ponénda ratióne vigilémus, ut, cum jam iudex ad feriéndum imminet, lucrum nos quod fécimus excúset.

Te Deum laudámus.

Exorcismus

contra imminentem tempestatem fulgurum,
et grandinis.

PER signum ✠ crucis, de inimicis ✠ nostris, libera nos ✠ Deus noster. In nómine Patris, ✠ et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Dicitur Symbolum fidei, scilicet : Credo in Deum Patrem, etc.

Deinde Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison.

Pater noster.

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. **R.** Qui fecit coelum et terram.

V. Sit nomen Dómini benedictum. **R.** Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

V. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimici ejus.

R. Et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus.

V. Exsúrge Christe, adjuva nos. **R.** Et libera nos propter nomen tuum.

V. Dómine, exáudi oratióne meam. **R.** Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobiscum.

R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui fecisti coelum et terram, mare, et ómnia quæ in eis sunt; quique flúmini Jordáni benedixisti, atque in eo baptizári voluisti, et tuas sanctíssimas manus, et bráchia sacratíssima in cruce extendisti, quibus áerem sanctificásti : obsecrámus imménsam pietátis, et bonitátis tuæ abundantiam, quátenus has nubes, quas ante me, et post me, et supra me, a dextris et a sinistris vídeo áerem perturbáre, dissólvere et annihiláre dignéris; ut alligáta potéstas dæmonum impie desaviéntium deficiat et turbétur ad laudem tui sanctíssimi nóminis, et potentíssimæ majestátis tuæ. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

R. Amen.

Postea conversus ad nubes, signet eas signo ✠ dicens : Circúdet te nubes Deus ✠ Pater. Cir-